

lum, non desinit cognoscere Petrum, alias nunquam posset illos simul cognoscere adhuc vnica cognitione.

Confirmatur *primò*: Angelus potest simul vti pluribus speciebus, pluresque simul habere cognitiones: ergo potest intelligere plura vt plura. Probatur antecedens: Angelus vtiur simul essentia diuina per modum speciei, sua substantia item per modum speciei, & alijs speciebus accidentalibus: aliunde nequit eorum obiecta intelligere vnica cognitione, vt ex se liquet: ergo.

Confirmatur *secundò*: Angelus mouens caelum intelligit illud, & motum; sed simul potest alia cognoscere: ergo duplici cognitione & specie: ergo potest intelligere plura vt plura. Hæc vltima consequentia inferitur ex prima, & prima ex præmissis: nam diuersa est species, qua Angelus cognoscit Angelum, à specie qua cognoscit caelum: ergo idem dicendum est de cognitionibus. Similiter Angeli custodes semper vel fere continuò sunt in intelligentia eorum, quos custodiunt; sed non ob hoc desunt alia cognoscere: ergo. Tandem dæmones sunt in perpetua cognitione suorum cruciatuum; & tamen cognoscunt simul alias res naturales, quæ non habent ordinem ad prædictos cruciatuum: ergo.

Confirmatur *tertiò*: Nam Angelus habet plures species disparatas: ergo potest intelligere plura vt plura. Probatur consequentia: Tum, quia si habet plures species disparatas, etiam plures cognitiones disparatas; sed hoc est intelligere plura vt plura: ergo. Tum etiam: nam potest vti simul omnibus speciebus, & ita cognoscere simul totum hoc vniuersum; sed non vnica cognitione: in cuius enim mentem venit, quòd Angelus potest vnica cognitione cognoscere tam diuersa obiecta superiora & inferiora, sicut sunt ea, quæ continentur in toto hoc vniuerso? ergo necesse est, quòd pluribus cognitionibus disparatis totum hoc vniuersum simul cognoscatur.

153 Ad argumentum respondetur, quòd estò Angelus per suo libito possit vti inadæquate specie representante Petrum & Paulum; nunquam tamen haberet simul duplicem intelligentiam, itaut ex his duabus simul cognoscatur Petrum & Paulum; sed si modò illa vtens inadæquate solum cognoscit Petrum, postea vtens illa adæquate eliciat vnica tantum intelligentiam, qua cognoscatur simul vtrunque non per modum *plurium*, sed per modum *vnus*. Sicut si Angelus esset in duobus locis inadæquatis inter se distantibus, vbi plures effectus produceret, non illos produceret per modum *plurium*, quia haberent inter se connexionem tam ex parte locorum, quam ex parte virtutis: ex parte locorum, quia sunt intra spheram activitatis angelicæ; ex parte virtutis, quia sunt inadæqua-

ti. Sed nota: quòd intellectio hæc secunda à stinguereur essentialiter à prima, è quòd vnus obiectum in ratione talis distinguitur ab obiecto alterius. Sicut intentio aliquid finis adæquate distingueretur essentialiter ab intentione eiusdem finis, si coniungeretur cum altero sine inadæquato, & cum illo faceret vnum finem adæquatam.

Ad primam confirmationem respondetur; quòd Angelus vtens illa triplici specie, & eliciens triplicem intelligentiam non intelligit plura vt plura, sed plura vt vnum, vel per modum vnus, quia attingit sua obiecta cum quadam subordinatione. Et ratio est: quia omnes species accidentales subordinantur propriæ substantiæ, quatenus id, quod per eas intelligit, intelligit ad modum propriæ substantiæ: quia per intelligentiam sui, ad quam movetur à Deo vt Authore speciali (sicut de motu cordis solet dici) constituitur in actu, vt possit alia intelligere: & hæc ratione omnes species accidentales; & intelligenties eis correspondentis subordinantur propriæ substantiæ & eius intelligentiæ, & ob eandem rationem non sunt inter se disparatæ. Deinde propria substantia & alia species superaddite exemplantur à modo representandi essentia diuina, qua primò cognoscit se, & secundariò alia à se. Unde cum visio beata sit participatio formalis illius cognitionis diuinae, nequit non sibi subordinare alias species & cognitiones: ideoque tria illa intelligere simul non est simul plura vt plura intelligere, sed plura per modum vnus. Potestque hoc explicari exemplo animæ, quæ secundum eandem partem movetur motu augmentationis, alterationis, & localis, quin ex hoc arguatur, quòd habet motus plures vt plures, è quòd hi tres motus habent quandam subordinationem. Hanc solutionem quoad primam partem tradit D. Thomas quest. 8. de Verit. art. 14. ad 6. & quoad secundam ibi ad 11.

Ex dictis constat ad secundam confirmationem: Nam licet Angelus cognoscat caelum per speciem superadditam; attamen caelum & eius motus quodammodo pertinent ad substantiam Angeli mouentis; & ordinatur ad perfectam sui cognitionem: ideoque pro eadem cognitione cum propria cognitione computari debet. Ex quo inferitur, quòd sicut cognitio sui comparatur simul cum cognitione aliarum rerum, quin verisicetur intelligere plura vt plura, ita ex eo quòd cognoscat simul caelum, quod mouet, & alia obiecta, non sequitur intelligere plura vt plura. Per quod etiam constat ad id, quod tangit de Angelis custodibus, quia eodem modo respondendum est. Ad vltimum exemplum respondetur, Angelum non habere aliam speciem præter essentiam suam ad cognoscendos suos cruciatuum, quia per illam cognoscit omnia accidentia sibi inherentia.

Ad

154 Ad tertiam confirmationem respondetur, concedendo Angelum posse simul vti pluribus speciebus disparatis. At in illo casu non eliceret plures intelligenties disparatas ob rationem datam per nostra conclusionem; sed vteretur illis speciebus coadunatis, quatenus partialiter possunt concurrere ad eandem numero intelligentiam, media qua Angelus cognoscit comprehendit, si velit, totam vniuersum. ¶ Vel dicas: quòd estò haberet plures intelligenties vtendo illis speciebus, omnes tamen illæ ordinantur ad vnum numero obiectum. Pro quo sciendum est, quòd in sententia valde plausibili Thomistarum beatitudo naturalis Angelus non constitit precise in cognitione, qua Angelus seipsum & consequenter Deum Authorem naturalem cognoscit, sed in cognitione, qua per omnes species naturales omnia obiecta naturalia cognoscit, & ex consequenti Deum: quia hæc cognitio est perfectissima, & in cognitione perfectiori naturali debet beatitudo naturalis consistere, sicut & beatitudo supernaturalis, in supernaturali.

Si verò inferas: Ergo beatitudo naturalis vel non est simplex qualitas, vel habet aliquam simplicem cognitionem elevatissimam & superexcedentem cognitionem propriam & cognitionem aliarum rerum singularem cognitarum. Concedi nus primam partem dilemmatis. Ex quo nullum sequitur inconueniens: Nam estò repugnet beatitudinem supernaturalem patriæ esse aggregatum plurium cognitionum, eoque potest pergere ad attingendum Deum prout est in se, secus verò repugnat in beatitudine naturali ob oppositam rationem. Ex quo constat illas plures intelligenties non esse plures vt plures, cum subordinantur ad idem numero obiectum formaliter. Vel potest assignari aliud vnum obiectum, nempe, cognoscere quæ & quanta sit collectio omnium intelligibilium naturalium, ad quæ Angelus naturaliter potest se extendere, quoties voluerit, quæ omnia comparantur vt vna numero collectio, & ad illam attingendam sufficit vnica intelligentia.

155 Arguitur *secundò*: Nam visus potest videre plura vt plura: ergo multo melius intellectus potest intelligere plura vt plura. Antecedens probatur: nam visus multoties vtiur pluribus speciebus, vt cum simul videt plures arbores, plures flores; alias elicit plures visiones, cum visio corporalis non possit specificari à tot diuersis obiectis sub aliqua ratione communi: ergo nihil ei deest, vt videat plura vt plura.

Confirmatur *primò*: Non repugnat plures species per modum *plurium* esse simul, vel in eodem medio, vel in eodem intellectu: ergo nec repugnat hunc habere plures intelligenties per modum *plurium*. Consequentia constat à

paritate. Et antecedens quoad primam partem probatur: nam defecto in eodem medio recipiuntur simul plures species, quæ inter se sunt disparatæ, sicut species albi, & nigri. Similiter quoad secundam partem: nam etiam in intellectu tam nostro, quam angelico simul sunt plures species nullam inter se dicentes coordinationem aut connexionem: ergo non repugnat plures species per modum *plurium* esse simul, vel in eodem medio, vel in eodem intellectu.

Confirmatur *secundò*: Nam in eodem subiecto sunt plures qualitates inter se disparatæ, & eiusdem ordinis & generis: ergo etiam possunt esse simul in eodem intellectu plures intelligenties disparatæ & eiusdem generis. Consequentia à paritate constat. Et antecedens probatur: nam al edo & nigredo sunt qualitates inter se disparatæ & eiusdem generis; & tamen possunt simul esse in eodem subiecto: ergo.

156 Ad argumentum respondetur cum D. Thoma quodlib. 7. art. 2. ad 1. quòd vnus (idemque dicendum est de alijs potentijs corporijs) vnica illa obiecta videt per modum vnus, ad quòd sufficit esse quoad litum se dispositio, vt vnico actu possint videri, vt patet in funiculo florum. Ex quo deducitur species non esse per modum *plurium*. Vel dicas, quòd possunt videri per modum *plurium*, sed hoc est propter extensionem organi & potentia visiva: qua ratione potest, secundum diuersas sui partes, diuersas sensationes habere, quod, vt ex se constat, acquiri habere locum in intellectu. Vel tandem dicas, quòd estò nostro aspectu videantur illa omnia obiecta simul tangi, ad corrigendum est iudicium operationem nostræ assertio- nis, licet breuissima morula, quæ inter sensationem & sensationem interuenit, det occasio- nem deceptioni.

Ad primam confirmationem respondetur cum D. Thoma loco proximè relato ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd tam patet ex dictis, quòd non eodem modo se habet intellectus in habitu ad intelligibilia in habitu, quæ sunt in ipso vt dispositiones, & intellectus in actu ad intelligibilia in actu, quæ sunt in ipso vt vltima perfectiones.* Et ob hanc rationem possunt vel in intellectu, vel in medio esse plures species disparatæ, quia sunt in illis vel tanquam in fluxu, vel tantum dispositiue & in actu imperfecto; intelligenties verò sunt in actu perfecto, cum sint vltimæ perfectiones intellectus. Et ideo non est simile, concludit D. Thomas ibi ad 5.

Ad secundam confirmationem etiam respondetur cum D. Thoma quest. 8. de Verit. art. 14. quòd ille qualitates vel considerantur in actu imperfecto, vt cum sunt in fieri, v. g. cum à quis actualiter dealbatur, tunc albedo est in fieri, & nigredo in corrupti, & sic bene possunt

possunt esse simul in eodem subiecto. Vel considerantur in actu perfecto & quieto, & sic albedo & nigredo nequeunt esse simul in eo. Si vero alia sunt in eodem subiecto, in diversa formaliter potentia erunt, & sic non erunt per modum plurium.

## §. III.

## Secunda conclusio circa discursum.

157 **D**icendum est secundò, Angelum non intelligere discurrendo, pro cuius intelligentia recolantur, quæ ad explicationem discursus formalis notavimus tract. de Scientia Christi disp. 4. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ pluribus in locis, præsertim in hac quest. 58. art. 3. & quest. 8. de Verit. art. 15. ubi ait: *Sicut non sine discursu principia cognoscimus simpliciter intuitu, ita & Angeli omnia que cognoscunt. Unde & intellectualia dicuntur, & habitus principiorum in nobis dicitur intellectus.* Idem tradit 1. 2. quest. 89. art. 4. ubi inquit: *Intellectus Angeli, sicut in primo dictum est, non est discursivus, ut scilicet procedat à principiis in conclusiones, sicut in utrumque intelligens, sicut in nobis contingit. Unde oportet, quod quandoque considerat conclusiones, consideret eas, prout sunt in principiis.* Angelicum Doct. sequuntur omnes eius discipuli.

Probat duplici ratione D. Thomæ. Prima est: Ut Angelus discurreret, necesse erat, quòd cognosceret conclusiones cognitione realiter distincta & causata ex cognitione principiorum; sed cognitio, quam habet Angelus de conclusionibus, non est huiusmodi: ergo non intelligit discurrendo. Maior continet distinctionem discursus proprii & formalis. Minor probatur: nam in Angelis non datur cognitio conclusionis, quæ non sit cognitio principiorum: ergo non cognoscit conclusiones cognitione distincta & causata ex cognitione principiorum. Antecedens probatur: nam *Intelligentia* aliter cognoscit conclusionem, ac *rationalis*; sed Angelus *Intelligentia* vocatur & habetur ab omnibus: ergo aliter Angelus cognoscit conclusionem, ac *rationalis*. Iam sic; sed *rationalis* cognoscit immediatè conclusionem in seipsa, & non in principio: ergo Angelus non cognoscit conclusionem, nisi in principio. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: nam *Intelligentia* essentialiter distinguitur à *rationali*: ergo aliter cognoscit conclusionem, ac *rationalis*. Patet consequentia: nam modus operandi sequitur modum essendi.

Explicatur hoc: Nam in nobis ex imperfectione & debilitate luminis provenit, ut visus principijs non possimus in eis & ex vi eiusdem cognitionis cognoscere conclusiones: ergo cum

Angelus habeat fortius & perfectius lumen, poterit in principijs videre conclusiones: ergo si homo ob sui imperfectionem petit discurrendo, Angelus ob oppositam rationem non debet discurrendo, sed unico & simplici actu, debet attingere principia & conclusiones.

158 Qua ratione profundè intellecta, facile evahatur communis solutio Adversariorum, qui aiunt, ex ratione D. Thomæ tantum inferri, quòd Angelus necessariò non discurrat, non verò quòd non possit discurre pro sua libertate. Quòd maxime verificatur in nostra sententia, affirmante Angelum posse vi pro suo libito inadaquatè qualibet specie, ita ut possit cognoscere unum obiectum representationem per eam, & non aliud, & sic poterit vi specie vi representante principia, & postea moveri ad cognoscendam conclusionem.

Sed hæc evasio evahata manet, ut diximus, si rectè ratio Div. Thomæ calcatur. Nam proprietas hominis, ut homo est, nequit vilo pacto competere Angelo, sed discurrendo est proprietas hominis, ut homo est: ergo nequit Angelus convenire adhuc pro exercenda sua libertate. Minor probatur: nam discurrendo est proprium rationalis, ut rationale est: quia ratiocinari & discurre idem sunt, & certum est, quòd ratiocinari est proprium rationalis, ut rationale est; sed homo ut homo est rationalis, ita ut rationale sit differentia, per quam homo essentialiter distinguitur ab Angelo: ergo discurrendo est proprietas hominis, ut homo est.

Roboratur hoc: Nam Angelo non est naturale discurrendo, alias non distingueretur à rationali rigorofo: ergo nequit adhuc pro exercenda libertate discurre. Probat consequentia: nam si non est ei connaturale discurrendo, connaturale est ei non discurrendo; sed non est in Angeli potestate mutare modum connaturalem ipsius, sicut nec eius natura potest mutari pro beneplacito suæ voluntatis: ergo nequit pro exercenda libertate discurrendo.

Confirmatur: Nam nequit negari, quòd discurrendo est maxima imperfectio in natura intellectuali, sicut intelligere per species acceptas à rebus & minus universalis: sed quia intelligere per species acceptas à rebus & minus universalis est proprium hominis, ut homo est, nequit Angelus pro suo libito intelligere per eas: ergo cum discurrendo sit imperfectio hominis, ut homo est, nequit Angelus pro suo libito discurrendo.

159. Secunda ratio nostra conclusionis desumitur ex D. Thomæ in præf. Et potest reduci ad hæc formam: Angelus est substantia suprema inter intellectuales creatas: ergo nequit intelligere sua obiecta discurrendo. Consequentia probatur: nam Angelam intelligere sua obiecta discurrendo est acquirere suam perfectionem intellectualem per motum proprium natura

intellectualis inferioris; sed substantia suprema inter intellectuales creatas nequit acquirere suam perfectionem per motum competentem naturæ intellectuali inferiori: ergo Angelus non cognoscit sua obiecta discurrendo. Minor probatur: nam ita se habet substantia suprema inter intellectuales creatas, sicut substantia suprema inter naturas corporeas; sed substantia suprema corporea nequit acquirere suam perfectionem per motum, quibus interiores acquirunt suam perfectionem: ergo neque substantia suprema inter intellectuales creatas potest acquirere suam perfectionem per motum competentem naturæ intellectuali inferiori: ergo cum propriam sit rationalis acquirere suam perfectionem intellectualem per motum intellectualem, scilicet per discursum, plane inferatur, Angelum non posse illam acquirere per discursum.

160. Que ratio non solum probabiliter, ut sentit Zamel, sed etiam demonstrative convincit nostram conclusionem: Nam esto probatio à simili non sit demonstrativa, bene verò quando sumitur in aliquo principio inconcluso: si autem ratio D. Thomæ ad probandum in Deo voluntatem est demonstrativa, eio eam probet per aliquid simile, nempe per appetitum innatum: quia fundatur in illo solido fundamento, videlicet quòd ad quamlibet formam sequitur necessario suus appetitus. Idem ergo accidit in nostro casu: nam etio ratio D. Thomæ procedat à simili, fundatur tamen in alio non minus solido fundamento, nempe quòd primum in quoquoque genere habet actu & sine motu suam perfectionem, quam in interiora per motum acquirunt. Quod est universalissimum principium demonstrans à priori nostram assertionem.

161. Nec dicas, falsum esse, suprema corpora non habere suam perfectionem per motum: Nam per motum localem Solis illuminantur & perficiuntur item per motum localem proprium acquirunt sibi aliquam perfectionem, cuor sint in potentia connaturali ad illum motum intrinsecè recipiendum.

Contra est: Nam ut ratio Div. Thomæ sit efficax, sufficit, quòd corpora celestia non sint in potentia ad acquirendam perfectionem simpliciter talem, seu quæ pertinet ad suam esse, sed etio corpora celestia sine in potentia ad aliquam perfectionem secundum quid talem, semper tamen sunt in actu respectu perfectionis simpliciter talis: ergo. Probat maior quia hoc ipso, quòd corpora inferiora acquirant suam perfectionem pertinentem ad suam esse per motum generationis, nutritionis &c. rectè deducitur corpora superiora, quia prima, non posse acquirere suam perfectionem simpliciter talem per huiusmodi motus, propter principium universalis supra infirmatum.

Paul. Trevol. Salm. Tom. II.

Ex quo declaratur comparatio intentata à D. Thomæ: nam ita se habet substantia intellectualis suprema, sicut substantia materialis suprema & ita se habet illa ad suam perfectionem intellectualem, sicut hæc ad suam perfectionem substantialem; sed hæc non adquiret suam perfectionem substantialem per motum competentem substantiæ materialis inferiori: ergo nec Angelus debet acquirere suam perfectionem intellectualem per motum proprium naturæ intellectualis inferioris, qualis est discursus.

Adde: Nam esto corpora celestia conveniant aliquis motus, at iste motus est perfectissimus & ex altissimis supra omnes motus, ut tradit D. Thomæ infra quest. 110. art. 3. sed ex motu perfectissimo nequit rectè deduci in substantiis intellectualibus perfectissimis inter creatas motus imperfectissimus inter intellectuales, qualis est discursus: ergo eo ipso, quòd à corporibus celestibus relegentur motus imperfectissimi, rectè inferatur relegari ab Angelo, motum per discursum.

162. **O**ppositam sententiam universaliter intellectam tenet Scotus in 2. dist. 7. quest. 1. quem sequitur communiter eius Schola, Cui adhæret ex parte Schola Societatis, quatenus plures ex eis docent, Angelum pro suo libito posse discurrendo circa omnia obiecta. Ita Molina, Ripalda, & Quiros disp. 65. sect. 2. Et alij tenent ex necessitate discurrendo circa obiecta supernaturalia, futura contingencia, & secreta eorum. Sic Suarez, Arrubal, Amicus, Granados & Arriaga.

Arguitur primò: Angelus se habet ad intelligenda sua obiecta naturalia, sicut anima rationalis in statu separationis, ut habetur in Div. Thomæ intra q. 89. *ferè per totam* sed iuxta Angel. Doct. anima in statu separationis potest discurrendo erga naturalia: igitur etiam Angelus. Probat min. nam 3. p. q. 11. art. 3. ad 3. ait: *Et ideo uti collatione & discursu est connaturale animabus beatorum, non autem Angelis.*

Hoc argumentum, quatenus opponitur nostre sententiæ, nullam habet difficultatem: tum propter auctoritatem quæ nobis obijcitur, ubi Angel. Mag. etio concedat animæ separate discursum, & verò Angelo. Et merito: quia anima rationalis adhuc in statu separationis distinguitur essentialiter ab Angelo, etio rationalis, qua ratione etio possit habere adhuc in illo statu intellectum discursivum, tunc verò Angelus. Tum etiam: nam loco citato ex 1. p. art. 5. in resolutione art. loquens de compositione & discursu, concludit, quòd non habent locum in anima

Et sc.

ſeparata. Vnde hoc argumentum potius eſt pro nobis quam contra nos.

Habet tamen non parvam difficultatem tum in conciliando hæc & alia teſtimonia, tum in aperiendo verum ſenſum Div. Thomæ in hac materia. Pro quibus videndus eſt Petrus Bergomenſis in Tabula Aurea & Concordantijs locorum D. Thomæ aliquam oppoſitionem apparentem inter ſe habentium. Qui in dubio 186. hæc & alia loca ad concordiam reducit dicendo, quòd in 3. part. loquitur de ſcientia inſua, per quam pro ſuo libito poteſt uti diſcurſu; quòd non contingit in hoc ſtatu & de ſcientia hic acquiſita: Quod eſt idem ac dicere, quòd per hanc de neceſſitate diſcurrit, per illam verò habet poſſibilitatem, licet non neceſſitatem. Quapropter in 3. dilt. 31. q. 2. art. 4. in corp. docet Div. Thomas, quòd anima damnatorum, quia caret ſcientia inſua, & ſolum habet ſcientiam hic acquiſitam, de neceſſitate diſcurrit. Hincque Bergomenſis. Nec contra hoc obelt teſtimonium ex 1. p. quia ibi tantum loquitur de conversione ad phantaſmata, non de diſcurſu, vt legenti totum articulum conſtat.

Sed ſi hæc ſolutio non placet, dicatur ſecundum Serenam & alios, quòd in 3. part. loquitur Div. Thomas de anima beata ſpecificativè ſumpta non reduplicando ſtatum: quæ explicatio habet magnam vim in Div. Thomæ: nam 2. Contra gent. c. 8. 1. & 3. Contra gent. cap. 48. ait, quòd anima totaliter ſeparata à corpore aſſimilatur ſubſtantijs ſeparatis quoad modum, quo intelligunt. Iuxta quam doctrinam firmiter & probabiliter tenendum eſt, animam ſeparatam per nullam ſcientiam poſſe diſcurrere. Nec contra hoc obelt locus ex 3. Sent. quia ibi non loquitur ex mente propria, ſed ex mente Magiſtri: Vel poteſt dici, quòd retractavit ſententiam.

163 Arguitur ſecundò: Tunc datur diſcurſus formalis, quando vna cognitione cognoscitur vnum obiectum connexum cum alio, & hoc cognoscitur alia cognitione cauſata per primam; ſed Angelus poteſt hoc modo cognoscere ſua obiecta: ergo poteſt diſcurrere. Minor probatur primò: nam Angelus cognoscit ſeipſum vt effectum Dei vna cognitione, & motus ex hac cognitione cognoscit alia ipſum Deum, cum Deum abſtrahivè cognoſcat, & ſeipſum quidditivè & intuitivè. Secundò: Nam vna cognitione cognoscit hominem eſſe rationale, & alia eſſe riſibilem; cum ſecunda ſit ſcientifica, ſecus verò prima. Tertio: Nam in Angelis exiſtit virtus conſultativa, quæ dicitur *Eubulia*: ergo poteſt habere vnam cognitionem cauſatam ab alia. Patet conſequentia: nam hæc virtus dicitur inſiſtione, & conſequenter diſcurſum. Quarto: Angelus cognoscit conſiſtiones in ſeipſis & non in principio, cum habeat cognitionem ſpecificatam ab illis, vt poteſt ſcientificam, quòd ſtare non poteſt,

niſi attingat conſiſtiones in ſeipſis & non in principio, alijs non ſpecificaretur ab illis, ſed à principio.

Et confirmatur: Nam modus operandi voluntatis angelicæ conſormatur cum modo operandi intellectus angelici; ſed modus operandi voluntatis angelicæ eſt per actus, quorum vnus cauſatur ab alio: ergo ſimilem modum operandi habet intellectus angelicus. Maior continet expreſſam doctrinam D. Thomæ inſua q. 64. art. 2. Minor probatur: nam in Angelis dantur intentiones, & electio realiter diſtinctæ; ſed illi actus ita ſe habent, quòd electio cauſetur ex intentione: ergo modus operandi, quem habet Angelus voluntas, ita ſe habet, vt vnus actus cauſetur ex alio.

164 Ad argumentum reſpondetur, & conceditur mai. neg. min. Ad cuius primam probationem dicimus, quòd bene poteſt eadeſſe cognitio eſſe ſimul intuitiva, & abſtrahiva in ordine ad diverſa obiecta, vt concedit Maſtrius cum alijs Scotiſtis in hoc tract. q. 10. n. 325. Sic cognitio Dei eſt intuitiva reſpectu exiſtentiam, & abſtrahiva reſpectu poſſibilitatis: & vno beata eſt intuitiva & quidditivata reſpectu Dei, & abſtrahiva reſpectu non exiſtentium. Pariter ergo eadem cognitione Angelus poteſt intuitivè cognoscere ſeipſum, & abſtrahivè Deum.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, negando aſſumptum. Nam cognitio, qua Angelus cognoscit hominem eſſe riſibilem, non eſt diverſa ab ea, qua cognoscit eſſe rationale, licet prout terminata ad riſibilitatem vt deducatur à rationalitate ſit ſcientifica, ſecus verò prout terminata ad rationalitatem ſecundum ſe. Nam licet in nobis cognitio ſcientifica, & non ſcientifica diſtinguantur realiter, quòd habitus principiorum & ſcientia diſtinguantur etiam in nobis realiter; non verò in Angelis ob oppoſitam rationem: nam eminentia, quam Angelus habet ſupra modum, quo homo intelligit, petit, vt identificate in eo intelligentia, & ſcientia: ſicut in ſcientia beata hoc contingit. Ex quibus inferitur magna differentia quæ datur inter ſcientiam noſtram, & angelicam: & conſiſtit in eo, quòd noſtra ſpecificatè poteſt à conſiſtentijs, vt tradunt eruditè N. Salm. tract. 8. diſp. 1. à num. 81. angelica verò à principijs. Quod præ oculis habere debes, vt aliz difficultates facile enodentur.

Ad tertiam reſpondetur, quòd eſt in Angelis datur Eubulia, & conſilium, non inde inferatur dari in eo diſcurſum formalem: in Deo enim datur conſilium, & Eubulia, iuxta illud Apoſt. ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; & tamen in eo nequit dari diſcurſus formalis. Et ratio eſt: quia conſilium ſolum dicit inſiſtitionem & diſcurſum in ſubiecto diſcurſivo, vt tradit D. Thomas 1. p. q. 22. art. 1. ad 1. ſecus verò in ſubiecto non diſcurſivo: quia conſilium tantum petit diſcurſum & in-

qui-

quitionem, quando iudicium non eſt certum de rebus agendis: ſi verò eſt certum de illis, erit conſilium, & Eubulia, ſed abſque diſcurſu & inſiſtitione. Hanc certitudinem iudicij habere Angelum abſque inſiſtitione & diſcurſu expreſſè tradit D. Thomas inſua queſt. 59. art. 3. ad 1. vbi ait: *Vnde in Angelis eſt electio, non tamen cum inſiſtitione deliberatione conſulti, ſed per ſubitam acceptionem veritatis*, cum paulò ante diſſerit: *ſicut autem exiſtimatione boniſ in ſpeculationis diſfert ab exiſtimatione Angelus in hoc, quòd vna eſt abſque inſiſtitione, alia verò per inſiſtitionem, ita in operativis*. Ad quartam probationem reſpondetur ſicut ad ſecundam.

Ad confirmationem reſpondetur cum D. Thomæ inſua q. 60. art. 2. in corp. vbi ſatis abunde & clare ponit differentiam inter intellectum & voluntatem per hæc verba: *Hoc tamen differenter ſe habet ex parte intellectus & voluntatis: quia, vt ſuprà dictum eſt, cognitio intellectus ſit ſecundum quòd res cognite ſunt in cognoſcente. Eſt autem ex imperfectione intellectualis nature in homine, quòd non ſtatim in intellectu naturaliſ habet omnia intelligibilia, ſed quadam, à quibus in alia quodammodo movetur. Sed actus appetitive virtutis eſt e converſo ſecundum ordinem appetentis ad res. Quarum quedam ſunt ſecundum ſe bona, & ideo ſecundum ſe appetibilia. Quadam vero habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & ſunt appetibilia propter aliud. Vnde non eſt ex imperfectione appetentis, quòd aliquid appetat naturaliter vt finem, & aliquid per electionem vt ordinatur ad finem. Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfectè eſt, invenitur in eis ſola cognitio naturaliſ non ratiocinativa; ſed invenitur in eis dilectio naturaliſ & electiva.*

165 Arguitur tertio: Ideo Angelus nequit diſcurrere, quia nequit tranſire de potentia ad actum in linea intellectuali; ſed hoc eſt falſum: ergo poteſt habere diſcurſum formalem. Minor probatur: nam Angelus ab initio ſuæ conditionis non eſt ſemper in actuali cognitione omnium obiectorum, alijs non eſt in eo ſacceſſio inter inſiſtitiones, ſed omnes eſſent ſimul, quòd eſt falſum, vt in ra dicemus: ergo tranſit de potentia ad actum cognitionis: ergo etiam poteſt eſſe in actu reſpectu vnus cognitionis, ita ut ſit in potentia, & moveatur ad aliam cognitionem, in qua conſiſtit diſcurſus formalis.

Confirmatur: nam poteſt Angelus pro ſuo libito videre principia, & ibi ſiſtere, & poſtea per aliam cognitionem videre conſiſtiones; hoc autem eſt diſcurrere: ergo. Probatur maior: nam poteſt Angelus uti inadæquate ſuis ſpeciebus, ita ut licet ſpecies vna repræſentet principia & conſiſtiones, poſſit illa uti ad cognoscenda præciſè principia, & poſtea uti illa ad cognoscen-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

das vnice conſiſtiones in ſeipſis: ergo. Antecedens probatur: nam Angelus ſæpè vitur ſpecie repræſentante Petrum & Paulum ad cognoscendum præciſè Petrum: ergo poteſt uti inadæquate ſuis ſpeciebus.

Ad argumentum reſpondetur, concedendo maiorem rectè intellectam; & negando minorem. Et ad eius probationem dicendum, quòd Angelo non competit eſſe in actuali cognitione omnium ſuorum obiectorum, ob generalem rationem creature, ne dicitur, quòd cognoscit ſimul infinita cathegorematicè, vel quòd cognoscit plura vt plura, quòd creature repugnat. Aliunde eius actualitas non eſt tanta, vt licet ſit in actuali cognitione ſui; non tamen in actuali cognitione omnium obiectorum, quia hoc eſt proprium Dei: ſufficit enim, quòd ſit ſemper in actu primo, vt ſic teneat gradum medium inter Deum, & homines: At moveri de vna cognitione in aliam eſt proprium intellectus humani ſeu rationalis, ſicut tranſire de potentia ad actum per motum rigorofum ad acquirendam propriam perfectionem eſt proprium corporis inferioris, & non ſuperioris. Vnde eſt Angelus poſſit eſſe in potentia reſpectu inſiſtitionis, ſecus verò reſpectu motus diſcurſivi.

Ad confirmationem reſpondetur: ſatendū, quòd Angelus poteſt uti inadæquate ſpecie univerſali repræſentanti plura obiecta, & ſpecie repræſentante principia & conſiſtiones, ita ut ſolum cognoſcat principia, & non conſiſtiones (hoc vltimum gratis adhibemus, quia non eſt adeò certum). At quando cognoscit conſiſtiones, non poteſt uti inadæquate illa ſpecie, ita ut cognoſcat conſiſtiones in ſeipſis, & non in principijs. Tum, quia ad ſalvandam libertatem Angelus in cognoscendo ſufficit, quòd poſſit uti inadæquate ſpecie repræſentanti rationalis & riſibilis, quatenus cognoscit rationale, & non riſibile. Tum etiam: quia uti inadæquate ſpecie ad cognoscendas conſiſtiones in ſeipſis eſt proprium intellectus humani & rationalis, qui, vt pote inferior, petit attingere conſiſtiones in ſeipſis, vt motus ex cognitione principiorum, quòd intellectui ſuperiori repugnat. Vnde eſt Angelus poſſit uti ſpecie vt repræſentativa præciſè principiorum, nequit tamen ea uti ad cognoscendas conſiſtiones immediate in ſeipſis, ſed ſemel quòd velit cognoscere conſiſtiones, debet cognoscere eas in principijs, ne dicatur venire cum intellectu humano. Qua ſolutione bene intellecta, facile enervantur alique repli-cæ, quæ contra illam ebullire videntur.

166 Prima eſt: Angelus poteſt ſe movere cognitione imperfecta auctius obiecti ad cognitionem perfectam: ergo poteſt diſcurrere. Conſequentia conſtat: quia nihil aliud deſideratur ad diſcurſum formalem. Antecedens probatur: nam Angelus ſæpè ſe movet ex cognitione conſuetudinali auctius obiecti ad certam cog-

Eſt 2

ni,

nitionem illius: ergo potest se movere à cognitione imperfecta ad perfectam. Antecedens probatur: nam Angelus cognoscens coniecturaliter ex aliquo signo externo aliquem actum internum, cum quo non est necessario connexum, cognoscit tantam coniecturaliter actum internum; sed ex hac cognitione coniecturali movetur ad habendam cognitionem certam, cum cognoscens sibi deficere aliquam perfectionem moveatur ad illam appetendam & acquirendam: ergo.

Secunda est: Nam potest moveri à cognitione inadæquata ad aequatam alicuius obiecti: ergo. Antecedens probatur: nam ex cognitione hominis ut rationalis & risibilis: ergo potest moveri ex cognitione inadæquata ad aequatam.

Tertia: Nam si intellectus Angeli est liber ad vtiendum inadæquate specie repræsentativa rationalis & risibilis, & ut repræsentat præcisè rationale, non est ratio, quare non sit liber ad vtiendum illa, ut repræsentat præcisè risibile.

Ad primam respondetur, quod Angelus ex cognitione coniecturali alicuius obiecti non movetur ad cognitionem certam illius: quia simplici intuitu cognoscit connexionem talem qualem signi externi cum actu interno, & cognitio signo externo, coniecturaliter sine discursu cognoscit actum internum in signo externo. Et licet carentia & desiderium alicuius perfectionis supponat motum discursus, & forte localem in subiecto capaci tum discursus, tum virtutis sufficientis ad acquirendam talem perfectionem, non verò in subiecto inepto ad virtutem.

Ad secundam respondetur, quod licet Angelus specie repræsentante rationale & risibile possit uti inadæquate, quatenus repræsentat præcisè rationale: at non movetur postea per discursum ex hac cognitione ad cognoscendum rationale simul & risibile, in quo imberetur discursus formalis: imo nec homo potest hoc facere, cum non possit hunc discursum efformare: *Homo est rationalis: ergo est rationalis & risibilis*: quia medium nunquam ingreditur conclusionem, & ideo nunquam movetur ex principiis cognitis ad cognoscenda principia cum conclusionibus. Si ergo hoc non habet locum in homine, quanto minus in Angelo.

Ad tertiam respondetur, verum esse, quod Angelus potest uti inadæquate specie, quæ repræsentat rationale & risibile, præcisè ut repræsentat rationale, non verò potest illa uti, ut repræsentat præcisè risibile. Quia obiectum secundarium nequit cognosci sine primario, estò primarium possit cognosci sine secundario. Species autem Angelica repræsentat per se primò

principia, & secundario conclusiones; ideoque nunquam potest uti specie, ut repræsentat conclusiones, quamvis possit uti ea, ut repræsentat præcisè principia.

## §. V.

## Corollarium præcedentis assertionis

167 **E**X dictis inferitur, Angelum non discurrere erga obiecta supernaturalia. Hoc corollarium admittitur ab omnibus Thomistis. Et merito: nam estò D. Thomas in hac quæst. 58. loquatur univèrsaliter tamen in quæst. 8. de Verit. art. 15. ad 2. determinatè docet; non discurrere erga supernaturalia. Idem determinatè docet ibidem circa motus cordis. Et probatur: nam Angelus vel essentialiter est indiscursivus, vel conaturaliter; sed eo ipso nequit discurrere circa supernaturalia: ergo. Probatur minor: nam gratia elevans intellectum non facit illum deterioris conditionis, ac erat pro priori ad elevationem, cum sit proprium gratiæ pericere naturam: ergo cum sit perfectio vel essentialis, vel conaturalis Angeli non posse discurrere, etiam hoc debet conservare erga supernaturalia.

Et confirmatur primò: Nam estò Deus elevet liberaliter naturam per gratiam & alia dona, elevat tamen eam iuxta modum proprium, quem exigit tam in actu primo, quam in actu secundo: hæc enim ratio dicitur supra, species supernaturalis angelicæ esse univèrsales, sicut naturales. Similiter D. Thomas infra quæst. 62. art. 6. ait, Angelos consequutos fuisse gratiam & gloriam iuxta quantitatem naturalium. Item quia modus conaturalis Angeli est, quod in primo suo actu moveatur specialiter à Deo ad cognoscendum & amandum ipsum autorem naturalem, ideo etiam specialiter movetur à Deo ad ipsum diligendum supernaturaliter per primum actum: ergo similiter, quando elevat per gratiam, est iuxta modum conaturalem, quem habet Angelus in non discurrendo.

Confirmatur secundò: Nam forma de se non discursiva non elevat subiectum non discursivum ad discurrendum; sed lumen supernaturale de se non est discursivum, cum iuxta Angelic. Doct. 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 1. tantum sit discursivum ratione subiecti, hoc est, si in subiecto discursivo recipiatur: ergo cum Angelus non sit subiectum ex se discursivum, nequit circa obiecta supernaturalia discurrere.

168 Sed objicies: Angelus circa supernaturalia potest habere unam cognitionem causatam ex alia: ergo potest discurrere. Antecedens probatur: demon, visis miraculis Christi, coniecturabat divinitatem illius; sed tunc habebat unam cognitionem causatam ex alia: ergo. Minor probatur: quia non est eadem cognitio mi-

raculorum & divinitatis: nam miraculorum erat clara & infallibilis, divinitatis fallibilis, & obscura: ergo erant diversæ cognitiones, quarum una causabatur ex alia. Quibus potest addi, quod in Angelis datur admiratio, ut constat ex illo Isaia 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* sed hæc assertio discursus: ergo.

Et confirmatur: nam lumen Theologicum distinguitur in Angelo à lumine fidei: ergo discurret, quando attingit conclusiones Theologicas. Consequentia probatur primò: Nam ideo supra diximus non posse discurrere, quia eodem actu attingit principia & conclusiones; sed eo ipso quod lumen Theologicum sit distinctum à fide, per actum fidei attingit principia, & per actum Theologiæ attingit conclusiones: ergo discurret. Secundò: Nam ideo nos discurremus, quia per habitum principiorum attingimus principia, & per sapientiam attingimus conclusiones; sed hoc eodem contingit in Angelo circa supernaturalia ob rationem proximè datam: ergo.

Ad objectionem respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicimus, quod Angelus, visis miraculis, simplici intuitu eodemque actu coniecturabat in illis Divinitatem Christi. Nec obitat, quod illa cognitio sit fallibilis & infallibilis: nam si eadem numero cognitio respectu diversorum obiectorum potest esse intuitiva & abstractiva, quidditativa & non quidditativa, ut supra vidimus, etiam poterit esse clara & obscura, fallibilis, & infallibilis respectu diversorum. Ad additamentum respondetur, in Angelis dari admirationem latam, quatenus est cognitio alicuius obiecti repentinè & extraordinariè manifestati; non verò admirationem rigorosam, quatenus cognitio effectu ignoratur causa, & ex vi cognitionis illius accenditur desiderium cognoscendi causam per aliam cognitionem, quod pertinet ad discursum formalem: quia eodem actu cognoscit effectum & causam.

169 Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum, quod si scientia nostra non attingit principia saltem ut connexa cum conclusionibus, iam adest sufficiens fundamentum ad discernendum modum attingendi conclusiones Theologicas, quem habet Angelus, ab eo quem habet homo pro hoc statu: siquidem Angelus per habitum fidei attingit principia secundum se, & per habitum Theologiæ attingit simplici intuitu & unico actu principia ut connexa cum conclusionibus, & ipsas conclusiones; cum homo nunquam & nullo modo attingat eodem actu principia & conclusiones. Si verò scientia nostra, quæcumque illa sit, attingit etiam principia ut connexa cum conclusionibus (quod valde probabile est in via D. Thomæ, ut alibi diximus)

adhuc adest fundamentum ad discernendum modum Angeli à modo nostro: nam nos uno actu attingimus principia supernaturalia secundum se, id est, per actum fidei; alio & secundo actu attingimus eadem principia non secundum se, sed ut connexa cum conclusionibus; & alio & tertio actu attingimus conclusiones in seipsis, & propter distinctionem horum actuum adest in nobis discursus formalis. Ceterum Angelus licet per lumen & actum fidei attingat principia supernaturalia, nunquam tamen attingit conclusiones ex illis deductas immediate in seipsis, sed alio secundo actu attingit principia ut connexa cum conclusionibus & ipsas conclusiones in ipsis principiis: ideoque deficit ei conditio essentialis ad discursum formalem.

## §. VI.

## Tertia conclusio circa compositionem.

170 **D**icendum est tertio, Angelum circa nulla obiecta posse facere compositionem, & divisionem formalem. Hæc conclusio, quæ procedit contra Scotistas, defenditur communiter à Thomistis cum suo Angelic. Precept. in præf. art. 4. & infra quæst. 85. art. 5. ubi potest videri, & à pluribus Recentioribus Societatis. Et probatur ratione: nam qui semper cognoscit predicatum in subiecto, vel subiectum in predicato, non facit compositionem aut divisionem; sed Angelus hoc modo cognoscit propositionem: ergo non cognoscit componendo, & dividendo. Maior constat: Tum, quia componere aut dividere nihil aliud est, quam una apprehensione attingere subiectum, & alia predicatum, & postea predicatum cum subiecto per affirmationem coniungere, aut per negationem dividere. Tum etiam: quia ideo homo componit, aut dividit formaliter, quia, cum sit imperfectus in cognoscendo, non potest statim, ac apprehendit aliquam rem, inspicere simul omnia, quæ illi conveniunt, aut disconveniunt, sed indiget alio actu realiter distincto. Minor verò probatur: nam Angelus non cognoscit simplici apprehensione aliquod obiectum, cum omnis cognitio angelica sit iudicativa, ut tradit D. Thomas quæst. 85. citata: ergo semper cognoscit predicatum in subiecto, aut e converso.

171 Objicies primò: Nam Angelus cognoscit multoties diversis speciebus subiectum & predicatum alicuius propositionis: ergo componit, & dividit formaliter. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: quia si habet plures species, etiam plures cognitiones, siquidem cognitiones specificantur ab eis; sed in hoc stat compositio, aut divisio formalis: ergo. Maior est certa in D. Thomæ 1. part. quæst. 14. art. 14. ubi diversitas cognitionis subiecti à

cognitione prædicati in nobis probat ex diversitate specierum, & sic ait: *Quod quidem in intellectu non contingit propter hoc, quod species intelligibilis sic representat unum, quod non representat aliud.* Et in hac quaest. 58. art. 2. asserit de Angelis, quod omnia illa simul possunt intelligere, quæ una specie representantur, non tamen illa, quæ diversis representantur.

*Secundo:* Angelus aliquando cognoscit extrema diversi ordinis, naturalis videlicet, & supernaturalis: ergo tunc datur duplex cognitio & conceptus. Antecedens est certum, & constat in hac propositione, *D. Petrus est prædestinatus.* Consequentia verò probatur: nam eadem cognitio idemque conceptus nequit esse naturalis & supernaturalis; sed subiectum petit cognitionem & conceptum naturalem, & prædicatum supernaturalem: ergo dabitur duplex cognitio & conceptus.

Solutio harum & aliarum objectionum pendet ex intelligentia cuiusdam questionis summatitice, nempe: *An propositio mentalis sit simplex qualitas?* Circa quam duplex inter Thomistas & extraneos versatur sententia: Prima ait, non esse simplicem qualitatem; quod est idem ac dicere, quod ad propositionem mentalem concurrunt non solum præsuppositivæ, sed etiam formaliter, duplex species, duplex cognitio, & duplex verbum seu conceptus, quibus attinguntur subiectum & prædicatum propositionis extrinsecæ. Iuxta quam sententiam respondetur, hanc esse differentiam inter hominem & Angelum, quod est Angelus habeat plures species, medijs quibus potest pro suo libito attingere subiectum una cognitione, & alia distincta & disparata prædicatum; at quando cognoscit propositionem, cognoscit subiectum, copulam, & prædicatum unice tantum cognitione & specie expressa. Nam est detur duplex species impressa, utraque adunatur ab intellectu, ut eliciat univiam illam cognitionem, ad quam unaquæque concurret partialiter. Contrarium evenit homini, qui propter suam imperfectionem non tantum duplici specie, sed etiam duplici cognitione cognoscit subiectum & prædicatum, iuxta quod facillimo negotio fatissit objectioni.

Secunda, & certè probabilior, asserit, propositionem mentalem esse simplicem qualitatem; iuxta quam magis videtur obiectio. At D. Thomas illam proponit hoc modo: Primò homo attingit simpliciter apprehensione subiectum, & alia prædicatum, itaut simpliciter intuitu nequeat attingere primò utrunque: postea ex speciebus subiecti & prædicati format tertiam speciem utrunque per se primò representantem: sicut, ut ait Mag. Angelic. ex speciebus montis & auris format aliam tertiam representantem montem aureum, & ex speciebus generis & dif-

ferentia format aliam tertiam representantem totam speciem. Media autem hac specie, vel illis primis adunatis attingit subiectum, & prædicatum æquè primò vel per affirmationem, vel negationem, & in hac cognitione simpliciter, connotante tamen necessarîo illam duplicem apprehensionem, consistit compositio, & divisio for- malis intellectus.

Quo supposito: Angelus distinguitur ab homine quoad hoc in duobus. Primò: quia omnis cognitio Angelica est iudicativa, & non solum apprehensiva: nam quamvis possit duabus speciebus, & duabus cognitionibus pro suo libito attingere subiectum & prædicatum seorsim, id est, extra propositionem, ut cerne- re licet in extremis huius propositionis, *Homo non est lapis*, adhuc cognitio hominis est iudicativa, & similiter cognitio lapidis. Secundò: quia quando hic & nunc attingit illa extrema coadunata, non tangit illa æquè primò, sed prædicatum cognoscit in subiecto, & per speciem subiecti; & hac ratione compositio, seu divisio formalis non habet locum in eo. Si verò prædicatum est supernaturale, & subiectum naturale, in prædicato cognoscit subiectum, quia ab illo unice specificatur, iuxta quam doctrinam intelligendus est D. Thomas locis cita- tis.

## §. VII.

## Cuidam interrogationi fit satis

172 **P**RO complemento doctrinæ traditæ in tota hac disputatione Inquires, per quam speciem Angelus cognoscit sua accidentia? Hoc videbatur desiderari ad perfectam notitiam omnium intelligibilium, quæ ab Angelo cognoscuntur. Ad hoc respondendum est, quod Angelus cognoscit accidentia sive in se, sive in alio existentia per speciem representantem essentiam obiecti cogniti. Hæc resolutio (quæ tantum procedit de accidentibus naturalibus) videtur expressa D. Thomæ quodlib. 7. art. 3. ad 1. ubi ait: *Sicut per unam speciem concretam potest cognoscere diversa individua, ita etiam multo amplius potest per unam cognoscere quidquid est in uno individuo, ut non oporteat cum aliam speciem habere: non qua cognoscit colorem & odorem omnis pomi, sed simul cognoscendo hoc pomum, cognoscit quidquid est in pomo illo & essentialiter, & accident aliter.*

Ratione verò probatur: nam species Angelica est participatio divinæ essentia, secundum quod habet rationem speciei intelligibilis: ergo sicut essentia divina representat essentiam cuiuslibet rei cum omnibus suis accidentibus, ita species Angelica. ¶ Et confirmatur primò: Nam quia species Angelica est univialis, represent-

## Dub. VIII. An Angelus possit simul

intelligere plura ut plura &c.

intelligere plura ut plura &c. sed etiam individua: ergo etiam representat essentiam rei cum omnibus suis accidentibus. ¶ Confirmatur secundò: Nam iuxta D. Thomam loco supra relato per eandem speciem, qua representatur causa, representantur effectus ipsius, etiam si sint contingentes, dummodo actu existant: ergo per speciem representantem aliquam naturam atomam, & eius in livida possunt representari cuncta accidentia in eo actu existentia. Patet consequentia: nam omnia accidentia sunt effectus prædicatæ naturæ sive per modum principij activi, sive per modum principij passivi.

173 Sed obijcies: Nam si species angelica representans naturam representaret omnia accidentia illius adhuc contingentia, representaret simul rationes inter se oppositas & repugnantes, v. gr. albedinem & nigredinem, ferri- onem & stationem, vitam & mortem, quæ eidem naturæ successively insunt; hoc non coheret cum natura speciei angelicæ, quæ, cum sit univ- ersalis, nequit tantam varietatem accidentium re- presentare: ergo species angelica representans naturam alicuius rei nequit representare acci- dentia illius contingentia, etiam si actu existant. Adde: Nam si representaret simul substantiam & accidentia, esset in esse intelligibili substantia & accidens: siquidem species est in esse intelli- gibili id quod representat; hoc videtur repug- nans: ergo.

Ad objectionem respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: Nam non est contra univocitatem speciei angelicæ, ut simul & univociter repræsentet rationes illas op- positas tanquam obiecta partialia, quia hoc pe- tit eminentia illius speciei. Unde hæc repræsen- tatio variorum accidentium & eventuum, est sub diversis temporibus, non est cum varie- tate se tenente ex parte speciei, sed præcisè ex parte obiectorum, ut supra diximus de futuris, dum actu existunt, & de cogitationibus cordis, dum actu dirigunt ad Angelum. ¶ Ad addita- mentum respondetur, quod species non est eius- dem naturæ in esse intelligibili nisi cum obiecto primario, ut diximus dub. 4. accidentia autem tantum sunt obiectum secundarium speciei an- gelicæ, & natura obiectum primarium: unde ex hac parte non est, que repugnet ei, quod representet naturam cum omnibus suis acciden- tibus.

Ex dictis inferitur primò, quod substantia Angelii cognoscens representat actus liberos illius, & consequenter species accidentalis exi- stens in uno Angelo, & representans essentiam alterius, representat omnia accidentia illius, necnon actus eius liberos. ¶ Inferitur secundò, Demones per suam essentiam representare & cognoscere proprios cruciatus, ut supra dixi- mus in hoc eodem dubio: ad quod sufficit, quod

intelligere plura ut plura &c.

intelligere plura ut plura &c. sed etiam individua: ergo etiam representat essentiam rei cum omnibus suis accidentibus. ¶ Confirmatur secundò: Nam iuxta D. Thomam loco supra relato per eandem speciem, qua representatur causa, representantur effectus ipsius, etiam si sint contingentes, dummodo actu existant: ergo per speciem representantem aliquam naturam atomam, & eius in livida possunt representari cuncta accidentia in eo actu existentia. Patet consequentia: nam omnia accidentia sunt effectus prædicatæ naturæ sive per modum principij activi, sive per modum principij passivi.

## DISPUTATIO III.

## De voluntate Angelis.



Inicis his, quæ ad Angelum intel- lectum spectant, quæ ad volunta- tem eius pertinent, examinanda veniunt. In quo plures & gravis- simæ questiones solent excitari. In hac autem disputatione intersecabimus ea, quæ sunt propria voluntatis Angelicæ.

## DUBIUM I.

Verum Angelus intelligat, & amet se, & Deum finem naturalem omnino necessariò

**D.** Thomas in præf. quaest. 18. art. 1. inquit: *Verum intellectus Angelii quandoque sit in potentia, quandoque in actu.* Et quaest. 60. art. 1. interrogat: *Verum in Angelo sit amor & dilectio naturalis.* Ad hos articulos explicandos, excitamus cum communi calculo Doctorum dubium in titulo pro- positum, cuius resolutio preparat viam ad ea, quæ dicenda sunt in dubio sequenti. Sed sup- ponimus primò, Angelum nulla obiecta extrin- seca cognoscere necessarîo quoad exercitium: quia nulla est necessitas, ob quam Angeli de- beant esse semper in actuali cognitione omnium rerum naturalium. Videatur insuper D. Thomæ quaest. 16. de Mal. art. 6. ad 4. ubi hoc expresse docet. ¶ Potiori titulo supponimus (se- cundò) Angelum non diligere necessarîo omnia obiecta naturalia & supernaturalia. Ita colligitur ex D. Thomæ quaest. 60. supra relata art. 2. Et ratio huius est: quia imprimis finem super- naturalem non amant necessarîo, nisi in statu beatitudinis; deinde alia obiecta non habent nec- cessariam connexionem cum fine naturali, aut supernaturali: ergo non amant necessarîo omnia obiecta naturalia, & supernaturalia. Præsertim quia in Angelo est liberum arbitrium: ergo oportet, quod illud exerceat circa aliqua obiecta: ergo saltem circa omnia obiecta naturalia & supernaturalia præter seipsum, & Deum fi- nem naturalem, & supernaturalem in statu bea- tifico. ¶ Supponimus tertio, Angelum amare se necessarîo quoad specificationem: quia est de- terminatus ad suum esse, ut nequeat habere odium sui, ut pluribus in locis docet D. Tho- mas. Unde difficultas solum est, an cognoscat,